



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cursus Theologico-Moralis

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

Viva, Domenico

Patavii, 1723

Art. II. A quo ferri possit Suspendio, & Erga quos?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40650

est tamen confessiones audire, solemniter baptizare, &c., quia hæc ab officio Diaconi separantur, & sunt in diverso genere: Quamvis autem ea exercere non deceat, si tamen exerceat, non fit irregularis. Addit Laym., posse aliquando prohiberi quod minus est, non prohibito quod est majus; præsertim si in usu minoris, non majoris sit commissum aliquod delictum; in quo casu licitum est exercere quod majus est, non quod minus: Exempli gratia, Si Episcopus suspendatur a collatione Ordinum minorum, licite confert majores, ex Suar., Avil., Con., & aliis.

VI. Infertur tertio, suspensum ab officio posse quidem Sacramenta recipere, non tamen administrare; quia solum administrando Sacramenta exercet officium, & jurisdictionem contra prohibitionem, ut notat Bonac. num. 15.

Dividitur demum Suspendio in eam, quæ est a jure, & quæ ab homine. Rursus in Temporalem, & Perpetuam; Illa est cum limitatione temporis, verbi gratia per triennium, donec reus satisfaciat; hæc vero sine temporis limitatione. Differt tamen a Depositione & Degradatione, quia per has inducitur universalis privatio officii, & beneficii sine spe reconciliationis, & cum certa solemnitate, non vero per suspensionem, ut communiter Doctores.

VII. Ex dictis patet, quomodo Suspendio etiam ab Irregularitate, necnon aliis censuris differat; Nam Irregularitas privat susceptione Ordinis, ejusque usu; Suspendio vero privat tantum usu non solum Ordinis, sed etiam beneficii, & cujusvis Ecclesiasticæ potestatis. Differt præterea ab Excommunicatione minore, quia hæc privat solum perceptione passiva Sacramentorum; Suspendio vero privat perceptione activa pertinentem

Pars VIII.

ad Ordines, aliosque habet effectus: Differt etiam ab Excommunicatione majore; tum quia hæc plures alios habet effectus præter effectus suspensionis; tum etiam, quia Excommunicatio major privat actionibus, quatenus sunt quædam communicatio cum fidelibus; at Suspendio privat iis, quatenus sunt quædam functio officii, vel beneficii. Quibus adde, Episcopus non posse ferre excommunicationem dimidiate, seu relate ad hoc tantum, non illos effectus. Verbi gratia privando excommunicatum Ecclesiæ suffragiis tantum, & non communicatione fidelium; quia effectus excommunicationis sunt a jure determinati; unde non possunt coarctari ab Episcopo, cum non possit hic dispensare in jure communi: Contra vero potest Episcopus suspendere dimidiate, videlicet ab officio, non a beneficio; ut constat ex usu, & juris permissione.

Ex quo sequitur, quod possit Episcopus suspendere effectus aliquos suspensionis, non vero excommunicationis; ut usu etiam receptum est.

Demum differt Suspendio ab Interdicto, quia Suspendio non inducit privationem tot rerum, sicuti Interdictum; hoc enim privat participatione omnium divinatorum officiorum; illa vero privat tantum usu potestatis Ecclesiasticæ.

ARTICULUS II.

A quo ferri possit Suspendio, & Erga quos?

- I. Qui potest excommunicare, potest etiam ferre Suspendionem, & e converso. At non eatenus juxta usum Ecclesiæ ferre poterit Interdictum.*
- II. Clerici dumtaxat possunt hac censura irretiri. Suspendio generaliter lata contra Clericos non comprehendit*

S

dit

dit Episcopos; & probabilius nec religiosos: Imperatores, & Reges solum improprie suspendi possunt, quatenus possunt ex concessione Apostolica Sedis Rectores Ecclesiarum nominare.

III. Potest tota Clericorum communitas suspendi, puta totum Capitulum, tanquam persona ficta; ac rursariam potest communitas isthac suspendi, videlicet tum relate ad functiones proprias communitatis, tum ad functiones proprias singulorum, tum relate ad utraque.

I. **Q**uæritur primo; Quinam possit ferre suspensionem?

Respondeo ex Navar., Sylvest., & aliis communiter apud Laym., Suspensionem ferri posse ab eo, qui potest excommunicare; Sicuti viceversa potest excommunicare, qui potest suspendere. Enumeravimus autem quaest. 1. art. 2. eos omnes, qui excommunicare possunt, atque adeo suspendere. Et quamvis iidem possint etiam ferre Interdictum tam personale, quam locale; dicemus tamen quaest. sequenti, non esse in usu, nec expedire, ut Prælati Ordinum, qui possunt excommunicare, & suspendere, pariter Interdictum locale ferant; Nisi tales sint, ut etiam in plebem jurisdictionem habeant, ex Suar. disp. 37. sect. 1., & Laym. Imo in aliquibus religionibus prohibitum etiam est Prælati immediatis, seu localibus excommunicare, & suspendere. Parochum vero ferre non posse censuram ullam, diximus loc. laud. cum communi contra Archidiacon., quia jurisdictionem in foro externo non habet.

II. Quæritur secundo; Quinam possint censura suspensionis ligari?

Respondeo, præter ea, quæ diximus de Censuris in genere, omnes, & solos Clericos posse illam incurre-

re; quamvis Hent. putet, etiam Abbatissam suspendi posse. Illud hic notandum; In generali statuto, vel sententia Suspensionis, vel Interdicti ex speciali privilegio non comprehenduntur Episcopos (etiam electos, & confirmatos ante consecrationem, ut notat Suar.) nisi eorum expressa mentio fiat. Immo advertit Laym. ex Hent., tale privilegium competere etiam Cardinalibus ob præstantiorem eorum dignitatem, necnon Imperatoribus, & Regibus, qui & ipsi possunt suspendi, licet improprie, quatenus Ecclesiastica jura ex Apostolice Sedis concessione participant, ut Ecclesiarum Rectores nominare, & presentare possint.

Dubium tamen est; An sub suspensione generaliter lata contra omnes Clericos comprehendantur Religiosi? Suar. cum Pal. punct. 2. putat comprehenduntur saltem religiosos primatonsura initiatos, qui vere Clerici sunt; Alii tamen cum Pal. negant; & iidem docent de Interdicto; quia nomine Clerici solum in favorabilibus intelliguntur etiam religiosi, non in penalibus, quamvis etiam religiosi sint Clerici; siquidem diversis legibus, & constitutionibus reguntur.

III. Quæritur tertio; Possitne communitas Clericorum tota suspendi? Verbi gratia, totum Capitulum, aut Collegium.

Respondeo ex dictis de Censuris in genere affirmative, ut constat ex cap. *Qui sape, de election. in 6.* Quare quoties in statuto, aut sententia dicitur, Quicumque id fecerit, sit suspensus, comprehenditur etiam Capitulum, tanquam persona ficta, ut notat Laym. Verum Sensusio lata in Capitulum, si nihil aliud exprimitur, aut ex adjunctis colligatur, ligat tantum corpus Capituli, quatenus hæc vox, Capitulum, collectionem significat, non vero personas singulares, ut mox explicabitur.

cabimus distinguendo triplicem modum, quo possit Communitas suspendi.

ARTICULUS III.

Quam ob causam ferri possit Suspendio?

I. Suspendio partialis potest venialem culpam præsупponere: At totalis mortalem.

II. Totalis suspendio ob culpam alienam non incurritur: Nequit proinde propter delictum aliquorum tota Communitas suspendi relate ad functiones proprias singulorum.

III. Potest Communitas suspendi solum relate ad functiones, quæ ad corpus Communitalis spectant.

IV. Cur possit Communitas interdici, ita ut etiam innocentes ea censura ligentur; non vero similiter suspendi?

V. Ob delictum præteritum suspendio ferri potest tanquam pœna vindicativa, non vero tanquam censura, & pœna medicinalis. Suspendio illa non requirit præviam monitionem, potestque oretenus imponi, e jusque violator per exercitium Ordinis Sacri non incurrit irregularitatem; Secus vero suspendio, quæ sit Censura.

I. Plura diximus huc spectantia quæst. 1. art. 4. Quare nunc breviter inquirimus; An Suspendio ferri possit ob culpam venialem, aut alienam, aut præteritam?

Quæritur primo; An pro veniali culpa possit censura Suspendionis infligi?

Respondeo cum Laym. hic, Avil., Suar. disp. 24. sect. 4., & aliis communiter contra Cajet. & Navar. apud Con., Suspendionem absolute dictam infligi non posse, nisi ob culpam mor-

talem; Cum enim sit gravis pœna, debet gravem culpam præsупponere: Suspendio vero partialis, quando est pœna levis, (ut est Suspendio ab uno electionis actu, a lucrands una, vel altera vice distributionibus, &c.) potest propter venialem culpam infligi. Ostendimus autem cum de Censuris in genere, pœnam suspendionis totalis esse longe graviorem, quam sit excommunicatio minor; & ideo hæc tantum, non illa infligi potest pro veniali culpa.

II. Quæritur secundo; An possit quis suspendi propter culpam alienam?

Respondeo, certum omnino esse, quod possit aliquando tota aliqua Communitas suspendi propter culpam unius dumtaxat, verbi gratia, Prælati, ut diximus cum de Censuris in genere, & constat ex cap. Si Sententia, de Excommunicat. in 6. Et eodem modo potest aliqua Communitas interdici propter culpam aliquorum; in quo casu etiam innocentes videntur ligari suspendione, & interdico propter culpam alienam: Non enim videtur absurdum ex Suar. & Hurt. diff. 9., quod innocentes, in quantum membra Communitalis sunt, per accidens participant pœnam Communitalis.

Dico tamen cum Sà V. Suspendio, Laym. cap. 3., Con. dub. 3., & aliis, censuram Suspendionis totalis proprie dictæ, quæ scilicet sit suspendio ab omnibus functionibus Ecclesiasticis, non incurri, nisi ob culpam propriam. Ratio est, quia suspendio est gravis pœna, ut diximus, quippe quæ adimit usum omnem Ecclesiasticæ potestatis; gravis autem pœna requirit culpam in eo, qui punitur, Argumento cap. 2., de constitution. ubi dicitur: Rem, que culpa caret, in damnum vocare non convenit; ergo non potest quis sine propria culpa suspendi:

S 2

Et